

~~600~~  
DE

14<sup>3.</sup>

# JURIS- PRUDENTIA

AXIOMATICA,  
VERA ET FALSA

differit  
& simul

PRAELECTIONES SUAS JURIDI-  
CAS PER HOC SEMESTRE  
HABENDAS

indicat

CHRIST. HENRICUS FREIESLEBEN,

Phil. & J. U. D.

---

Anno 1723.

*Lit. from D. Masov.*

diss. A  
3

A. 169 (3)

DE

JURIS

PRUDENTIA

ACCOMMODATA

VERA ET FALSA



1711

PRÄLECTIONES SIVE JURIS

PRÆLECTIONES SIVE JURIS

PRÆLECTIONES SIVE JURIS



Uemadmodum divinae erga humanum genus benevolentiae insignis documentum est, quod medijs facillimis & intellectui etiam non acutissimo, cum certitudine demonstrativa obviis, ad veritates magni momenti, & egregii ad iuste & bene vivendum usus, pervenire dederit; Ita miseriae mortalium, & defectionis a prima integritate luculentum indicium merito habetur, quod per vias abstrusas, salebrosas, lenti- bus obsitas enitentes, metam tamen non at-

tingant, & multo negotio nugas addiscere, quam prima saltem rationis & aequi- tatis dictamina bene aestimando & ad casus in vita obvenientes applicando, ad veram & solidam doctrinam contendere malint.

Nostri jam instituti non est, hujus rei veritatem per omnem humana- rum scientiarum ambitum firmare: Sed quid Jurisprudentiae adscriptis in hac re acciderit, & quomodo a via regia, quam DEUS & natura monstrabat, plana certe, amoena, & brevi, ad scabras litofasque semitas, tristesque & in- explicabiles anfractus deflexerint, strictim indicabimus, & exemplo doctrinae de Ignorantia Juris & Facti illustrabimus. Scilicet cum in eo generatim mihi cum omnibus convenire debeat, quod Juris scientia sit scientia Legum, quia nimirum vocabulum juris hic manifeste pro Lege accipitur, id exinde necessario conficitur, notitia Legum, quas dicimus, Civilium, s. humanarum, istam Ju- ris scientiam absolvi non posse. Legem enim praeceptum superioris esse, &

vulgo, ac id recte quidem asserunt; & superior omnibus nemo quam DEUS est. Ex eo autem, quod superiori saltem potestas leges ferendi competat, sequitur, ut non tam isti, qui solum superior aliis est, quam potius unice illi, quo nemo alius est superior, ea asserenda sit. Si enim semper superior alteri legem ferre potest, & DEUS adhuc est superior princeps; sine dubio & hic lege quodam devincitur, juxta quam & ipse vivere, & aliis leges imponere necesse habet; seu, quod inferre volumus, Lex Civilis non sola est Lex, seu Objectum Jurisprudentiæ, sed simul vel maxime jus Divinum per naturam manifestatum. Ut taceam, & istam hominum superioritatem non esse simul cum hominibus ortam, sed ab iis, qui antea in libertate, & sine superiore vitam agebant, cum hac conditione, ut superior illis bene & juste, quod alium significatum habere non potest, quam ex voluntate Dei, imperaret, in unum vel plures collatam.

Sufficere hæc probatio κατ' ἀνθρώπων adversus eos potest, qui nihil rationi convenire, nisi quod vulgarium Juris compendiorum definitionibus & axiomatibus munitum sit, putant. Sed nec pro illis, qui juxta veritatem & a priori convinci cupiunt, desunt argumenta. Nemini enim, qui ad naturam Legum & eorum effectum paulo curatius attendit, dubium superesse potest, iis libertatem agendi, quæ hominibus, si naturalem eorum statum & potentiam consideremus, inest, ita restringi, ut ex duobus actionibus contrariis, alterutram necessario eligere debeant. Jam vero porro facile patet, hominem hominis libertatem restringere per se non posse, quia primo homo homini istam libertatem non dedit, adeoque quomodo id quod ab eo profectum non est, auferre possit, non apparet; deinde, quod ratio reddi non queat, quare alteri, cujus libertatem iste restringere cupit, non pariter liceat, ut illius libertatem, quam sibi sumit, restringat. Quæ omnia in Deo Legis Naturalis auctore longe aliter sese habent: Ille enim est, qui dedit libertatem physicam seu, cum ab eo homo factus sit, ab eo quoque est, quod facultate libere agendi polleat, & per id, ab aliis creatis, quæ necessitate naturali, hoc modo, & non aliter moventur, differat; & diversitatis ratio inter Deum & homines propter vires in his limitatas, in illo nullis limitibus circumscriptas, satis clara est.

Postquam igitur fontibus juris scientiæ, quod ante omnia fieri debebat, sua constat ratio; de modo istam commode acquirendi utpote qui propius ad nostrum institutum spectat, dicendum erit. Duplicem autem, voluntatem alterius,

alterius, quæ genus est legis, cognoscendi modum esse, facile perspicitur. Vel enim singillatim tantum alterius iussa percipimus; vel etiam, & imprimis de istis generalioribus præceptis, sub quibus cetera virtualiter comprehenduntur, & ut practice rem efferamus, ut media ad ista se habent, solliciti sumus. Nam si e. g. generalis Legislatoris intentio ea est, ut jus a nemine in alterum absque consensu transferri debeat; qui id intelligit, & simul, nec a furioso nec a pupillo nec a minore, itidem nec dominium, nec aliquam utilitatem, neque pro præstatione aliqua, neque gratis in alterum absque consensu transferri, h. e. neque contractum emtionis venditionis, neque donationis, neque locationis conductionis, neque commodati, & plane nullum pactum absque consensu valide celebrari posse non ignorat. Itidem, qui id velle Leges novit, ut certa portio liberis necessario relinquatur, eam nec per præteritionem, nec per exhæredationem auferri, neque per legatum ipsius substantiam nec usumfructum, neque per fidei commissum imminui debere, statim sciet. Intermissio enim omnium horum actuum demum adæquatum medium est generalis istius finis, ut liberi portionem suam legitimam salvam habeant. Ex quo manifestum esse oportet, hunc posteriorem modum Leges per generalia præcepta ex principiis addiscendi, alteri, quo saltem speciales sanctiones singillatim memoriæ mandantur, longe præferendum esse. Primo enim egregium hoc doctrinæ compendium est, ad quod alii sexcentis pene juris positionibus opus habent, id una regula tenere, & quid de casibus quorum decisionem isti tanquam ex Areopago anxie expectant, statuendum sit, in antecessum scire, adeo, ut huic studendi rationi adfueti, ex decisione Doctoris nihil inauditum antea percipiant, sed saltem in applicatione factorum ad prima & genuina juris principia magis exercentur & confirmentur.

Deinde non breviori via saltem, hoc modo ad metam contenditur; sed habet & hoc præcipuum, quod priori isto quædam non solum forte tardius, sed & plane non attingi possint. Experientia ipsa certe satis loquitur, quot in usu forensi exempla occurrant, quæ Legibus definita & decisa non sunt. Quid hic illis faciendum, qui pene infinitis LL. memoriam onerarunt, & tamen proh dolor! ipsum illum casum, quem quærunt, in isto amplissimo penu tamen non inveniunt. Sed nondum animum abjiciendum quis putarit, cum multæ adhuc invidiosæ opes in ICtorum vastis operibus Responsorum latitent. At unde istis quæso, hæc Sapiencia? Sane, si LL. Civilium *verbis* non determinatur ista controversia, palam est, vel *ex rationibus* juris, & præceptis generalibus, quæ ante, quam de eo casu responderetur, exislebant; vel absque  
ratione,

ratione, eas decidi debere, Novi equidem utilitatem ejusmodi collectionum; sed novi quoque eos egregie falli, qui eam esse credunt, quod ex illis totius juris scientiæ divitias colligere possit. Primo enim doctrinæ in illis non coherent; & tum ea est casuum multitudo & mira varietas, ut, etsi copia istorum librorum certe jam hoc tempore minime spernenda duplicaretur, quovis tamen pignore certare velim, multos adhuc casus in foro obventuros, quorum in terminis terminantibus, quæ causidicis summa votorum est, decisio frustra in illis adhuc quærenda foret.

Cum itaque & Legem Naturæ unice veram Legem, adeoque consequenter civiles saltem illius determinationes & exempla esse, ac deinde ex principiis rectius juris scientiam, quam ex conclusionibus addisci, evictum sit; id exinde conficitur, doctrinas Jurisprudentiæ civilis ex principiis juris naturæ deduci & demonstrari debere. Audio mihi hic objici, LL. Civiles quandoque recedere a Jure Naturæ, & tamen standum esse LL. Civilibus; ut adeo principia Juris Nat. propter falsas, quæ in usu forensi, & ipsis rerum argumentis inde enaturæ sint, consequentias, plus detrimenti afferant. Sed adhuc, salva res est. Si enim quædam LL. quæ de præsentibus extant civiles, cum juris Nat. dictaminibus non conveniunt, quod concedimus, & Jurisprudentiæ addicti, juris naturæ fundamentis non instruantur; nunquam certe sperandum est, eas emendatum, & ad normam juris nat. hoc est ad voluntatem divinam compositum iri; quod tamen ut fiat, sine dubio generis humani quam maxime interest. Deinde nec iis, qui vel minime emendandis legibus se adhibendos credere possunt, ideo fundamenta Legum naturæ ignorare licet. Nam primo si Jura Civilia cum naturalibus non conveniunt, accidere id tamen non tam frequenter solet, ut adeo, licet etiam praxin & usum forenses respicias, nihilominus dictamina juris naturæ maneat principia plurimarum LL. Civilium. Postea & in iis casibus in quibus LL. Civiles recedunt a Jure Nat. longe facilius adnotat, & percipit intellectus humanus istum dissensum, quam ipsas conclusiones tam male coherentes memoriæ mandat & servat.

Ex his facile colligi potest, qualem nos velimus Jurisprudentiæ Axiomaticam. Brevis sane ista est, sed simul & perspicua & certa. Doctrinam de principiis Juris Naturæ isti disciplinæ relinquimus, & a potioribus eorum conclusionibus, quæ se iterum ad leges civiles ut principia habent, ordimur, de habitu scilicet legum civilium ipsarum in genere & officiorum iisdeterminatorum. Atque cum leges civiles omnes subditos, utpote qui in earum causam

causam

causam confenserunt, obligent; patet, quod qui ad finem obligatus est, etiam obligetur ad media, sine quibus iste obtineri nequit. Unde hæc prima regula conficitur: *Quilibet subditus obligatus est ad cognoscendas leges & ignorantia earum illum non excusat.* Officia qua patent, vel consistunt in non lædendo, vel in exhibendis iis, quæ alteri, ut ita loquar, positive sunt utilia. Cum autem officium sit species actionis moralis, & hæc absolvatur voluntate & eventu, seu moralitate & materialitate actionis; Sequitur, ut & in obligatione ad non lædendum & ad alia officia positiva adesse debeant hæc duo. Inde construitur alia generalis regula: *Ad imputationem actionis requiritur & voluntas & ipsa externa actio.* Cui simile fere est illud brocardicum: *Crimen contrahitur si & voluntas nocendi intercedat.* L. I. C. ad L. Corn. d. Sicar.

Modus autem jura & obligationes producendi & per inductionem omnium exemplorum & specierum jurium, seu a posteriori, & ex natura rei, seu a priori, duplex saltem esse cernitur; per immediatam scilicet legum dispositionem & per pacta. Cum enim a lege, uti supra demonstravimus, naturali absolute, & civili, quatenus ista medium est finem juris naturæ assequendi, & generalitatem illius singularibus, & sensui magis obviis præceptis vulgo explicandi omnis obligationis vis pendeat; Pleraque vero officia hominum talia sint, ut propter vires, quæ ad ea præstanda requiruntur, non immediate per legem injungi possint, id inde conficitur, pacta amplissimum modum jura transferendi esse; a quibus tamen ideo lex non excluditur, cum & ista modum, quo pacta fiant, præscribat, & naturales pactorum conclusiones explicet.

Duo adeo hic axiomata generalia dantur. Primum: Lex est sola causa juris & obligationis vel immediata in omnibus officiis non lædendi, & etiam quibusdam positivis, vel mediata in ceteris speciebus positivorum. In iis casibus, qui lege determinati non sunt, necessario pactum adesse debet, si obligatio & jus asserenda sint. Ex natura pactorum, quod scil. jus proprium in iis transferatur, duo alia adhuc axiomata existunt; Primo: *Ad transferendum jus requiritur, ut quis possit transferre.* Cui illud æquivalet: *Nemo potest plus juris in alterum transferre, quam ipse habet.* L. 54. d. R. J. Et deinde: *Ut quis valide transferat jus, necessarium est, ut velit transferre.* Cui æqualem sensum istud habet: *Id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest.* L. II. ff. d. R. J. Cetera omnia, quæ pro axiomatibus venditantur, prima non sunt, sed consuetaria saltem; ut: *Non debet, cui plus licet,*

cet,

et, quod minus est, non licere. Sequitur enim ex isto priori: Nemo plus juris &c. quia, qui majus jus potest transferre, dum minus transfert, non plus transfert, sed minus, quam habet. It. Nihil consensui tam contrarium est, quam vis atque metus. L. 116. d. R. J. Pertinet enim hoc saltem ad explicationem voluntatis; &: Furiosus absentis loco est. L. 124. §. 1. d. l. Ut taceam hic illud quod magis clarum & extra controversiam est, per aliquid magis dubium & obscurum explicari, qualia in lectione axiomatum occurrunt multa alia.

Longe minus pro veris axiomatibus habenda sunt, quæ in variis formis contractuum ex eodem fundamento generali deciduntur: Vt: Debitore liberato, per consequentias fidejussor quoque dimittitur. L. 19. ff. d. dol. mal. Dolus tutoris vel curatoris nocere pupillo vel furioso non debet. L. 3. §. 1. ff. d. tribut. act. Melioris conditionis emptor non fit, quam fuit venditor. L. 32. ff. ad Jct. Vellej. Qui alterius negotia administranda suscepit, id præstare debet in sua persona, quod in aliorum. L. 31. ff. mand. Tum: Non plus habere creditor potest, quam qui pignus dedit. L. 3. §. 1. ff. d. pignor.

His perspectis facile erit de falsa Jurisprudencia Axiomatica judicare. Triplicem causam pro triplici Jurisprudenciæ statu deprehendimus; aliam in tempore ante Justinianum, aliam in tempore Justiniano, aliam denique in tempore post Justinianum.

Modum scriptionis nostræ excederet, si pro copia argumenti de hac re differere vellemus. Quare summo saltem, quod ajunt, digito, ad id, in quo cardo rei vertitur, intendimus. Quod igitur ad tempora Antejustiniana attinet, duplex ratio mihi videtur, quæ Jctos a planis istis & paucissimis præceptis ad ejusmodi difficiles atque lubricas disceptationes deduxit. Prima erat, quod in philosophia magis ad speculationes & subtiliter disputandi, quam ad vitæ usum & mores formandos composita, innutriti essent; Et quod metaphysica principia confunderent cum moralibus; cujus rei, ut alia jam taceam, in doctrina de specificatione, vid. L. 7. §. Cum quis, ff. d. A. R. D. & quam nobis sumsumus tractandam, de Ignorantia Juris & facti, luculenta occurrunt exempla. Altera, quod patricii in mutationibus Legum, quas contra plebejorum mentem suscipiebant, consilia sua non aliter effecta dare possent, quam si Jurisprudenciam tantis subtilitatibus implicarent, ut hi, quid re vera ageretur, non caperent.

Circa



Circa seculum Justiniani dum Compilatores illius temporis vel ex ipsis illis sententiis Ictorum, de quibus diximus, corpus Juris construxerunt, vel in ceteris partibus ad illorum principia doctrinae exactae sunt, ulterius aliquid monendum non esse videri posset. Sed quamvis de habitu brocardicorum juris, nobis praesertim, qui breves esse volumus nihil hic amplius notandum veniat; De eo tamen, quomodo in legibus ipsis axiomata locum inveniant, & quantam etiam falsa & difficilia, quia LL. inserta fuerunt, auctoritatem nata fuerint, aliquantum dispiciendum erit. Priorem quaestionem negative decidendam esse facile inde constat, quod axiomata nihil aliud sint, quam regulae generales, quas intellectus tanquam ideas communes & fundamenta moralia ex consideratione LL. specialiorum abstrahendo formant; Leges autem de seipsis agere, seu ipsae objectum sibi esse non possunt; Deinde regulae ejusmodi generales intellectui dantur, non voluntati; hanc autem regunt LL. non illum; hoc est: Non docent leges, sed jubent. Cum igitur plane nulla axiomata in LL. ipsis recte locum inveniant; id de omnibus eorum speciebus quoque valebit, quas distinctius enumerare non abs re fuerit. Quare primo propositiones vulgares, vel tamen plane ad aliam doctrinam quam illam, quae mores civium regit, spectantes, merito e legibus exulant; quales e. g. sunt. L. 1. §. 1. ff. d. Ventr. insp. L. 65. d. R. J. L. 2 C. d. Offic. Praef. Praetor. Afr. pr. L. 121. ff. d. R. J. L. II. §. 5. ff. d. Interrog. in jur. faciend. L. 1. §. 4. d. Serv. Corrupt. L. 17. §. 3. Commodat. L. 114. §. 3. d. Legat. I. L. 21. d. Fideic. libert. L. un. §. 18 C. de Vet. Jur. Enucl. L. 15. C. de Usufr. multo magis plane ridiculae, ut: L. 17. C. d. poen. L. 25. C. d. Testament. in qua ex intimis sc. doctrinae de decoro recessibus, demonstratur: *Quod testator coram testibus aliquid naturale facere erubescat*; quapropter & Gothofredus illam florilegio suo sententiarum inferre non dubitavit. Secundo merito ex censu LL. Civilium proscribendae propositiones eruditae quidem & ad doctrinam morum pertinentes, sed quae tamen regulae generales saltem sint. Adeoque abundant dictamina juris naturae, & rationes Legislationis hinc inde LL. insertae; cum haec quidem recte supponantur a Legislatoribus, sed vulgo, cui Leges quam maxime etiam feruntur, proponi non debeant, quod sint supra illorum captum. Huc pertinent §. ult. J. de his qui sui vel al. jur. L. 2. ff. eod. L. 15. ff. d. Cond. inst. L. 3. ff. d. J. & J. L. 1. pr. ff. d. pact. L. ult. §. 5 C. d. bon. quae lib. L. un. C. Si propt. inimic. creat. fact. L. 3. C. d. Princip. Nov. 30. c. II. pr. Nov. 134. c. 13. pr. & multae aliae leges.

Tanto magis abesse deberent, quae in Corpore Juris deprehenduntur axiomata *juris naturae & rationi plane non convenientia, falsa, incerta*, ut in L. 3. pr. d. poen.

d. pœn. L. 12. d. R. J. L. 6. d. Interr. in jur. faciend. L. 125. d. R. J. Nov. 3. pr. Nov. 129. Nov. 147. præf. & ejusmodi plura. Abundant porro *regula prudentiæ*. Legum enim, etsi prudentiam pariter uti præcepta juris nat. supponant, tamen non est eam docere. Accedit, quod Doctores prudentiæ suadeant, Legis autem, uti supra diximus, munus sit præcipere & cogere. Occurrunt autem ejusmodi prudentiæ regulæ hinc & inde; e. g. in L. 20. ff. d. Fideic. libert. L. 19. d. Offic. præf. L. 12. C. d. pœn. L. ult. C. in quib. caus. rect. in integr. necess. Nov. 44. c. 1. §. 3. fin. Nov. 89. c. II. §. 2. Nov. 94. c. I. Nov. III. pr. Nov. 133. c. ult. Abundare porro in Legibus generales Regulas ex ipsis Legibus Civilibus collectas, ex prioribus constat; nocere autem præterea, si difficiles, obscuræ & plane falsæ sint, extra omnem dubitationem merito positum esse debet. Difficili enim methodo plus temporis perditur, quam plana & facili, quo tamen hominibus jure nihil pretiosius habendum est. Ut taceam difficultates istas sæpe ita comparatas esse, ut superari non possint, & multa utilia ea propter ignorari debeant. Regulæ autem ex quibus plane falsa consequuntur, contra finem non solum proprium, qui est brevior & solidior rerum cognitio, sed etiam communem omnis doctrinæ, id est, veritatem impingunt. Atque nec his carere, quod primo forte mireris, collectionem LL. Civilium Romanarum ex ipsa earum inspectione cuivis, qui sanæ rationis lumen a Deo concessum non petulanter extinguere noluerit, manifestum fiet. Evolvantur L. 28. ff. Comm. divid. L. 3. §. 3. sub fin. de Jurejur. L. 63. pr. pro foc. L. 1. pr. quod Juss. L. 1. §. 22. ff. depof. L. 6 §. 1. ff. d. Contrah. emt. L. 2. ff. d. rejic. vend. L. 33. pr. d. usur. L. 21. d. probat. L. 2. d. Act. rer. amot. L. 2. §. 1. si quis aliq. testar. L. 2. §. 5. d. Dol. mal. except. L. 14. ff. ad L. Corn. d. Sicar.

Posterior quæstio, quomodo factum sit, ut tantam auctoritatem etiam difficilia obscura, falsa, nacta fuerint, enotanda restat. Duplex problema in hac quæstione latet; Primum scilicet quomodo tam multæ rationes Legis in ipsas leges Romanas irrepserint; Quod tamen in patriis nostris non pariter accidisse videmus; Alterum, qui tam diu Jcti istis aranearum cassibus & texturis se irretiri passi fuerint. Videamus, num utrumque solvere possimus. Quod igitur tam multa ratiocinia & intempestive simul & haud raro valde infeliciter eum legibus coaluerint, ejus rei ratio nemini, quantum mihi videtur, obscura esse potest, qui ex privatorum scriptis, in quibus asserta rationibus comprobari utique par est, collectas fuisse, & simul inscitiam Compilatorum novit. Hi enim eundem in modum ac quidam imperiti juvenes discursum præceptoris calamo excipientes, formulas transitionis & connexionis simul chartæ mandant, disceptationes imo sententias Jctorum plane ad rem ipsam nihil facientes legibus inseruerunt, uti ex  
jam

jam allegata L. 20. ff. d. Fideic. libert. ut jam prolixiori recensione super-  
fedeamus videre est.

Quod autem Juris Interpretes etiam difficilibus, & falsis ratiociniis dele-  
ctati fuerint, & ab illis recedere, & planius philosophari sibi religioni duxerint;  
Ejus rei causam agnosco unam generalem, ignorantiam sc. genuinæ artis ratioci-  
nandi, alteram specialem, præjudicium sc. illud inveteratum, quod leges etiam  
in iis quæ ad intellectum spectant, vim suam exerant, & Legislatores quoque dum  
docet, Legislatorem agat, quo tamen falsius & inconcinnius nihil dici potest.

Axiomatica ista jurisprudentia autem, <sup>non tantum</sup> uti modo diximus, ex collectione  
legum Romanarum cæco impetu assumpta, sed & a Glossatoribus lepido sane  
hominum genere novis accessionibus immane quantum aucta est. Et sane miran-  
dum non est, tam monstruosam ex illorum cerebris philosophiam prodiisse, si ex  
una parte fecundum illorum ingenium, ac spississimam in arte ratiocinandi &  
principiis moralibus ignorantiam, ex altera vero illorum contradicendi & digla-  
diandi pruritus, ac prorsus non puerilem æmulationem perspectam habeas.  
Ablegamus, qui specialiora nosse cupiet, ut brevitati serviamus, ad *Guidonis  
Pancirolli tractatum de claris LL. interpretibus.*

Dictum a nobis supra est, deprehendi in Corpore Juris Civ. regulas gene-  
rales ex ipsis LL. confectas, & difficiles & falsas quoque, quibus Icti legistato-  
riam potestatem ultra terminos, queis ista per rei naturam circumscribitur, su-  
perstitiose colentes, jurisprudentiam inexplicabilibus fere tricis involverunt.  
Allegavimus aliquot leges, ne gratis ista dixisse videremur; Sed ut apertius de  
veritate sententiæ nostræ, iis qui rectiora hac in re edoceri cupiunt, constet, o-  
peræ pretium nos facturos esse credidimus, si doctrinam quandam, eamque  
certe non parvi momenti, ac præ aliis valde deformatam, de *Ignorantia scilicet  
Juris & Facti*, tractandam susciperemus, & fundamenta naturalia & plana ac  
cuius mediocriter attendenti obvia, cum vulgaribus regulis difficilibus, &  
multis modis falsis compararemus.

Supponimus igitur ex prioribus: *Omnes illos, qui Legibus debent  
parere, oportere quoque eas scire, & ut sciant, operam dare.* Porro  
prolixa probatione non egebit; Quod ad delictum & voluntas veram ne-  
gotii notitiam subsequens, & eventus, seu actionis & moralitas & mate-  
rialitas requiratur; Cum hæc duo ad omnem actionem moralem, cujus  
species

species est delictum, sint necessaria. Ex quibus indubie conficitur; e. g. homicidam a poena ordinaria non liberari si ignoraverit, capitis supplicio homicidam affici; Bene tamen, si sclopeto, quod globulo oneratum non putarat, alterum occiderit. Et ita ubique in foro quoque pronunciatum.

Civiles obligationes quod attinet, iterum supponimus, quod jam probatum est: Nullum jus absque consensu ejus, qui illud habet, & co-ntitur, transferri in alium posse. Unde sequitur: Illud non posse trans-ferri seu amitti, quod idem est, nec ab altero acquiri ( sunt enim hæc re-lata ) alio modo, adeoque nec ignorantia amittentis, nec acquirentis, sive uterque aut alteruter ignoraverit, jura istam transmissionem non jubere, aut circumstantiam quandam in facto, quæ si eam scivisset, effectura fuisset, ut jus non transferret. Nullo modo enim cogitari potest, qui defe-ctus scientiæ humanæ, s. ignorantia, tanquam non ens possit obligationem tanquam verum ens morale aut gignere, aut existentem tollere. Et hoc est, uti nobis quidem videtur, totius doctrinæ fundamentum, ex quo omnes conclusiones naturali nexu deducuntur. Sic patet e. g. quare contrahens cum minore, aut filiosam, quem talem esse ignorabat, tutus non sit; Quare heres juris ignorantia non impediatur repetere cautionem legatorum causa in testamento remis-sam &c.

At quam misere se hic torserunt juris interpretes! Cui de ea re oculatum testimonium perhibere volupe est, adeat Joannem Malcotum, qui de juris & facti ignorantia; Et Jo. Baptistam Costam, qui de facti scien-tia & ignorantia, integros Commentarios conscripserunt; Nobis jam non vacat ista stabula purgare. Sed brocardica saltem, quæ ex titulo de Igno-rantia Juris & Facti Jcti tanquam regulas cardinales in hac doctrina ad-scivere, breviter sub examen vocabimus.

Prima Regula continetur L. 9. ff. d. Jur. & Fact. ignor. & ita concepta est: *Ignorantia juris nocet, facti non nocet.* De obscuritate & ambiguitate vocabuli: *Nocet*; Jam nihil monebimus; agitur quoque de eo a nobis alio loco. Sed hoc prætereundum non est, utramque regulæ partem instantia elidi posse. Ignorantia juris enim non nocet; Uti in he-rede cautionem legatorum causa repetente vidimus; Et nostra regula ita comparata erat, ut hic casus conclusionis non exceptionis loco esset. Ac iterum ignorantia facti nocet, uti exemplo Creditoris, qui debitorem suum

suum minorennem esse ignorabat, clarum est cujus decisionis ratio non minus ex nostra regula naturali prorsus nexu fluebat.

Secunda regula Limitationis loco fungi debebat: Quod scilicet ignorantia noceat lucrum captanti, & non noceat damnum vitanti; ac fundatur in d. L. 9. & 8. d. t. Sed casus de herede & adversus hanc limitationem instantiae loco est. Nam heres sine dubio de lucro captando certat. Sicut Creditor minorennis de damno vitando certat, & tamen ignorantia necuris nec facti sublevatur.

Tertia regula continetur L. 6. d. t. Quod scilicet. Nec nimis negligens nec nimis curiosus quis esse debeat. Sed quando scientia, uti in Legge, requiritur; nec aliqualis curiositas sufficit: & quando nulla requiritur; nec nimia supinitas nocet.

Equidem non nego, LL. Civiles etiamnum in certis casibus disponere, ut ignorantia alicui jus auferat, & iterum ut in ignorantem propter illius ignorantiam jus transferatur. Illius exemplum est in indebiti solutione, ubi is, qui nescivit, se jure ad solvendum non obligari & tamen solvit, repetere solutum non potest, hujus in praescriptione ubi bona fides, sive ignorantia, quod auctor acquirentis jure transferendae destituatur, requisitum ad jus transferendum est.

Sed hoc vitium est eorum, qui Leges confecerunt, cui nulla meditatione mederi possumus, cum ista plane non cohaereant, & in casu, ubi par adest ratio, diversa facta sit dispositio. Interim tamen, quod supra monuimus, longe facilius hic notatur dissensus LL. Civilium a veris principiis, quam ista doctrina ex tam lubricis regulis, quae etiam tunc quando fieri poterat, cum exemplis non conveniunt, addiscitur.

Veniendum autem ad institutum nostrum, quod huic inspectioni ansam dedit. Constitui nimirum per hoc semestre, si DEUS vitam & vires concesserit, sequentibus praelectionibus Generosissimis ac Nobilissimis Dominis Comilitonibus inservire.

I. Ap. i in Collegium Institutionale Hor. IX-X. ad libellum  
meum

meum *Einleitung in die Teutsche Rechts-Gelahrheit*, inscriptum, qui per singulas plagulas haberi potest apud Bibliopolam Dn. Jo. Christophorum Coernerum. Emendare in isto tractatu defectus Institutionum quae vulgo praeleguntur, & planiorem viam ad omnes Jurisprudenciae partes struere pro ingenii modulo studium. Quisque solvit tres thaleros.

*II. Theoretico-Practicum ad Compendium Lauterbachianum.* Hor. X--XI, quod in sequenti semestri duabus per diem horis continuabitur. De cetero ad genuina juris principia semper Dominos Auditores, imprimis ubi auctor ea non indicavit, remittam, libellos proponam, contractuum formas suppeditabo atque istas ad fundamenta theoretica examinabo. Quisque solvet sex thaleros.

*III. Collegium Processuale Harmonicum.* Hor. II--III. Fundamenti loco semper Judiciū Cameralis Imperialis & provinciarum Saxoniarum Leges judicarias subjiciam; Sed & quae in terris Silesiacis, Marchicis, Franconicis & Liberarum Civitatum aliter constituta sunt, adnotabo; Ut eo non solum iis, qui in Saxonia, sed etiam qui alibi in foro versari volent, satisfiat. Pretium erit 4. thalerorum.

*IV. Feudale ad B. Titii Teutsches Lehn-Recht* Hor. III--IV. Diebus Mercurii & Saturni. More consueto hic res meas agam, & sollicite, quae ad jus feudale privatum non pertinent, aut ei peculiaris non sunt, ac adeo vel male vel frustra illi immiscentur, secernam. Pretium erit 2. thal.

Institutionale & Theoretico-Practicum, ac Feudale proxima a nundinis septimana, Processuale autem in sequenti Jordiar. Vos interim valete & favete.

Dab. Lips. d. 10. Octobr. 1723.



Coll. Diss. A 169, misc. 3